

P V I S

1 6 1 8

- | | |
|--|--|
| <p>Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi 104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Mundorpii paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pormacii Heptas simulane Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Episc.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electorem Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis ratis Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXIX. Epistola Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v Alberto Voito dicitur.</p> <p>XXX. Festschii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXXI. Angeli ad Baronem de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXII. Memoriae Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXIII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIV. Propemptica Fyffelio et Cremeri dicitur.</p> <p>XXXV. M. Victori, cum renunciaretq Rector.</p> <p>XXXVI. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fyffelii &.</p> <p>XXXVII. In Magisterii Honore Joh. Cr. Pr. Pr.</p> <p>XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Coppenui.</p> <p>XL. Bethmanni Herdesiani.</p> <p>XLI. Christiani Vopleri.</p> <p>XLII. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XLIII. M. Coppenui Gratiam. Pr. Pr. Pr.</p> <p>XLIV. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLV. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLVI. Apocryphorum Politicorum sigula.</p> <p>XLVII. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLVIII. M. Pucneri.</p> <p>XLIX. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|--|--|

Ec. 11



LXXXII
EPITHALAMIUM

VIRI CL.

CHRISTOPHORI
HEIDMAN,

&

LECTISSIMAE VIRGINIS

ELISABETHÆ HEIDMAN.

Gallienus Imperator.

*Ite beatæ animæ, & pariter sudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.
Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos,
Omnia nocte vident, cras nil meminere lucernæ.*



HELMAESTADII,
Ex officina IACOBI LVCII,

—
cIo Io cXIV.



VIR CL.

Non sola paupertas est, quæ homines
ridiculos facit: id quod veterum non nemini vi-
deo placuisse. Nam neq; amor in hanc partem
minus efficax est, præsertim cum per lentum im-
pedimentorum tormentum eluctari debet. Ergo vt omnis
mora in impatientiam exit; ita hæc, quod proximum est, in
dictis factisq; ineptias facit; vnde risum seuerioribus tolli
est necesse. Dedit mihi eius rei exemplum nuper amicus
non è multis, qui in suis ad me literis ob morosi amoris im-
patientiam elegantissimè simul & indignabatur & ineptie-
bat. Atq; ea res ita firmiter animo hæsit, vt & tibi Epitha-
lamium scribenti risum pariter versusq; expresserit. Quos
neq; tu ἀπεροδιόνυσον aliquid habere dices, cum & tua felici-
tas hac quasi aliena ærumna non parum illustretur; & alijs
qui ad tua opertanea non admittuntur, eorum hilaritatem
velut ἐκ τῆς ἐναντίας liceat æstimare.

MELCHIOR BRELER.





H Tsi Pierijs laxatus pectora curis,
Et studijs vacuus Parnassi, transfuga Phœbi
Dudū erro, tenerosq; modos & mollia plectra
Seposui, frigentq; mihi nunc carmina, nuper
Forte nouenarum non vltima cura sororum:

Nec iuuat aut Phœbum nota deducere Cyrrha,
Aut Diuas excire suas, pertæsaq; pridem
Mens animi hoc studium est, quo dum modo præmia famæ
Et sterilem metimus plausum, spes protinus omnes
Dilapidantur opum; exstimulat tamen intima sanctum
Foedus, & augusti grandis respectus Amoris
Docte HEIDMANNE tui, qui quantum augetur in horas,
Ingenij tantum inspirat sanctiq; furoris.
Ergo alius Phœbum facilesq; in carmina Musas
Aonio de monte vocet, mihi verba modosq;
Facundus dictabit amor, mihi proluet ora
Non quæ Parnassi de vertice desilit vnda,
Sed quam fonte suo mater mihi libat Amorum.

Viderat exutam pharetris incedere gentem,
Et passim armorum vacuam, nulliq; timendam
De lecto Cytheræa suam, ex quo scilicet ipsa
Cum leni zephyro & zephyri cum coniuge mundum
Ingrata damnandum hyeme atq; Aquilone relinquens
Exuerat vario pictum discrimine cestum:
Cestum, quem cum sentit humus cœlumq;, repente

Panditur æstiuu ridens clementia mundi.
Hoc placet? exclamat. (sed postquam exterserat vno
Noctem oculis digito) placet hæc cunctatio? Quin vos
Cum face, cum iaculis, & suetam protinus omnes
Militiam accincti, indutiq; volantibus armis
Desidiam hanc largo mihi compensate labore.
Vobis cedat hyems, mihi ridens floribus æstas;
Vos longæ noctes, vos detrimenta dierum,
Vos lentæ tenebræ, & post pigras Lucifer umbras
Claudo inuectus equo iucunda in prælia poscunt.
Nulla dōlis vestris est conuenientior hora,
Nulla adeo melior pars anni. hanc vindice dextra
Asserite, exq; omni lasciui inuadite parte,
Cessantes homines, vestrisq; incumbite telis.
Nil actum est æstate; breuis nempe orbita noctis,
Præpetibusq; senem fugiens Matuta maritum
Curribus, & velox nimium rota Solis iniqui
Gaudia diffindit, celeriq; intercipit ortu.
Nunc solidos lusus, nunc quantum possit vtrisq;
Et somno, & vobis parua satis esse cohorti,
Indulget pigris inuecta Diana iuencis.
Ferte citi tædas, date tela, stringite ferrum.
Ipsa ego præludam vobis, mihi victima prima
Debetur, primum nostraq; ab arundine vulnus
Proueniens certo dextram testabitur ictu.
Sic effata pharetratis de fratribus vni
Eripuit plumbo pallentem in cuspide cornum

Et

Et neruo adducto volucrum dimisit in auras.
Illa volat vulnusq; ferens saeuoq; dolore
Et vano desiderio absumptura medullas.
Hinc inter sese mussant toto agmine fratres,
Et quem Diua parens caeco percusserit ictu,
Quem velit in lentam poenam impatienter amare,
Et nequidquam vri, submissa voce requirunt.
Sed frustra: nam sola Venus quae vulnera fecit,
Scit sola, & paruum vetuit nouisse cohortem,
Ne quis opem misero ferat, & mala vulnera sanet.
Ille autem infelix penitas populante medullas
Et fibras subeunte malo, nocitura ministrat
Saeuo alimenta Deo, & sperando nutrit amorem:
Supplicium ipse sibi, poenaeq; exactor acerbae.
Et nunc inuidiam superis facturus iniquis
Multa in crudeles iactat conuicia Diuos.
Et sterilem Venerem nequidquam multa querendo
Suscitat, ac verbis nil proficientibus auget.
Quid me saeva Venus perpetua face,
Et lentis miserum conficis ignibus?
Quo tormenta tuae dira potentiae
Si me clamo reum, si fateor scelus?
Nemo sanguineis lancinat vngulis
Confessum, & proprii criminis indicem.
Nempe hoc carnifice & verbere quaritur,
Sulcati vt lateris terribilis dolor
Et crates laceratae, costaq; peruia

Occultum facinus exprimat à reo.
Hæc est sævitæ meta nouissima,
Tormentisq; feris hic positus modus.
At tu carnifice & verbere sænior
Flammis perpetuis me miserum excoquis,
Peccatum fatear continuo licet
Et clamem assiduò DILIGO DILIGO.

At tu animi præstans iuuenis, quem magna Dearum
Ante alios complexa Venus, felicius vri
Et tangi voluit longè meliore sagitta.
Gaude sorte tua, & complexu hanc assere toto:
Fortunamq; tuam alterius metire labore.
Sed Venerem reuerenter habe, mutabile quippe
Numen, & immanes subito quod concipit iras
Si tibi concessis largè non vtere rebus.
Ergo bonis hilarè auspicijs & Cypride dextra
Speratum iam ordire virum, dulcisq; iuuentæ
Gaudia, promissam libertatemq; puella
Non parcè largire tuæ. Viden vt tibi cælum
Pronuba nox toties optata inuoluerit vmbra?
Aspicias vt letum tibi candidus Hesperus agmen
Educat, totusq; tuis micet ignibus æther?
Ipsus Hymen tibi festiua face ventilat ignes
Iam prope marcentes, & vellet promptius ires.
Exspectat tibi flammeolum positura pudicum
Et certum factura virum pulcerrima Virgo,
Ac merito dilecta tibi: si gloria census,

Si

Si genus, & rarum diuina modestia donum,
Vel dos ampla pudor, si commendatio muta
Et laus ipsa sibi teneræ præstantia formæ
Quæritur: aut letos quodcunq; inspirat amores
Mentibus, & blanda pertentat pectora flamma.
Hæc tibi mollibus officijs & carmine linguæ
Iam dudum defixa tuæ, nihil indiget ultra
Blanditijs, nec tentamenta operosa requirit.
Sponte venit, flecti facilis, quamuis nihil ores,
Suspires nihil, aut verborum ambage molesta
Delicias Dominae facias seruire paratæ.
Ipsa tibi teneris collum complexa lacertis
(Audacem nam fecit Amor) primum oscula furtim
Figet, mox patulis blande eluctata labellis
Cum languente anima totum inspirabit amorem.
Maecte ista Iunone, soror quæ nomine, at vxor
Conditione tibi est, metæq; adiunctus Amoris
Iam plena tibi sume manu, quod præcoce nuper
Confixus desiderio votoq; petebas.
Cum primum occultis inserperet ossibus ignis
Et blandâ pectus flammâ torreret anhelum.
Ipsa quidem hoc nobis vitium natura maligna
Inseuit, nisu vt maiore negata petamus,
Concessis vix letemur; sic scilicet ægri
Dissidio turpi, proprio carbone notamus
Quisq; suum votum, & nostri nos pœnitent omnes.
Tu tamen hic ultra vulgus sapientior, æquam.

Ixri-

*Irritare. caue Venerem, mentisq; seueræ
Pondus, constantesq; animos adhibere memento.
Ut totum indulfisse virum sibi prædicet vxor
Te tua, & insigni faciat mox prole parentem.
Sic fias hac nocte pater, sic desinat esse,
Hoc quod amas, tua Iuno, suæ similisq; parenti
Cras à te redeat, cum re vnâ nomina mutans.*

*At tu candida ter venusta virgo
Multis forte procis petita nuper,
Vni dedita nunc tamen marito.
Quæ vultu lepido & nitente risu
Quæ blandis oculisq; purpuraq;
Oris mobilis atq; rorulenti
HEIDMANNVM grauitate nil iuuante,
Et vanâ spoliâs seueritate.
HEIDMANNVM cupidum tui, & paratum
Zonam soluere iam tibi molestam.
Salue florida, terq; amœna salue,
Salue candida, ter venusta salue,
Salue, quodq; satis diu fuisti
Ista desine nocte nominari.
Hoc optant reliquæ tibi puellæ,
Omnes quæ similes tibi esse vellent,
Omnes ordine quæ suo sequentur.
Ergo iam cane neniâ pudori
Exuelata tuo puella sponso,
Et longas tibi gratulare noctes.*

F I N I S.

*Id 4212.
8.*

ULB Halle 3
002 391 589




So

Ne
vom







Farbkarte #13

B.I.G.

IVM
PHORI
N,
RGINIS
EIDMAN.
tor.
e medullis
vestra columbæ,
oscula conchæ.
ere lychnos,
nineræ lucernæ.
I,
LVCII,

8

